



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructæ

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

467. An, & qualiter aliis beneficiis parochialibus, vel aliàs curatis imponi possit & soleat pensio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

seu Ecclesiis Cathedralibus, quarum reditus annui in vero valore non excedunt summam mille ducatorum, constitui nequit pensio; gravari autem possunt pensione, si dictam summam excedunt hi reditus; sed non nisi in eo, in quo dictam summam excedunt, ita ut semper Episcopo mille ducati remaneant liberi ab omni obligatione & onere; & sic, dum imponitur iis pensio, apponitur semper clausula: *dummodo mille remaneant pro Episcopo*. Garc. p. 1. c. 5. n. 393. & 394. Azor loc. cit. Paris. loc. cit. n. 34. dicens hoc Decretum Trid. esse in viridi observantia. Castrop. loc. cit. §. 4. n. 1. Ventrigl. to. 2. annot. 11. §. 1. n. 40. qui etiam n. 46. addit, quod omisso dicta clausula: *dummodo*, sit evidens signum, quod Papa sciens ac volens gravavit talem Episcopum, licet ejus fructus tenues essent, & derogarit Concilio; & citat pro hoc Rotam in *Ferentina*. pens. 23. Jan. 1602. Valor autem illorum ducatorum mille remanentium Episcopo intelligitur juxta valorem ducatorum illius regionis, in qua est Episcopus. Garc. loc. cit. n. 373. Lott. l. 1. q. 11. n. 27. Ventrigl. loc. cit. n. 41. Barbof. jur. Eccles. l. 3. c. 11. n. 69. Zechius de rep. Eccles. c. 28. n. 4. Porro Episcopatus Hispania, quia opulentiores sunt, solere Regem (qui in omnibus juspatrionatus habet) ex auctoritate Papae expediendas pensiones reservare usque ad tertiam partem, testantur Azor. loc. cit. Garc. n. 395. Paris. loc. cit. n. 39. Unde, ut Azor & Paris. in schedulis consistorialibus, Cardinalis, qui Ecclesiam vacantem denunciat, & à Papa petit, ut nominatum praesentatum, oblatum à Rege Episcopum instituat, dicit in hunc modum: *Supplicatur pro expeditione pensionis annua in favorem personae N. qua una cum pensionibus antiquis (intellige, si forte adhuc iis idem Episcopus gravatus sit) non excedit tertiam partem*.

Quaestio 467. An, & qualiter aliis beneficiis parochialibus, vel aliis curatis imponi possit & soleat pensio?

1. **R**espondeo primò, vel potius suppono, quætionem hanc non procedere de Parochiis incorporatis alicui monasterio, & imponenda iis pensione in constitutione Vicarii, id enim dictum est supra, fieri posse.

2. Respondeo secundò: Sed neque dubium hic iterum esse posse, quin Papa beneficiis omnibus aliis curatis, sive magni, sive exigui valoris pensionem propriè talem, in ea quantitate, quæ sibi bene visa fuerit, imponere possit. Castrop. loc. cit. n. 1.

3. Respondeo tertio: In parochialibus, quorum valor non excedit centum ducatos, pensio non imponitur juxta decretum Trid. cit. c. 13. Azor p. 2. l. 3. c. 8. q. 5. Paris. l. 6. q. 2. n. 21. Lott. l. 1. q. 36. n. 41. (dicens, reservationem talis pensionis nullam, si illa conditio remanentia centum ducatorum deficeret, etsi de cetero consentiat titularis etiam in defectu illius conditionis) Garc. p. 1. c. 5. n. 372. testantes sic usu, & ex stylo observari, estimato illo valore secundum valorem ducatorum loci, in quo est beneficium, Ventrigl. Garc. (qui tamen n. 373. in fine addit, quod clausula *dummodo remaneant pro rectore centum*, intelligenda sit de ducatis de Camera, si fructus narrentur in ducatis de Camera) Barbof. Castrop. citati pro hoc puncto q. preced. juxta declarationem S. Congreg. Concil. de qua testantur ijdem.

4. Respondeo quarto: Si verò parochialis fructus excedunt valorem 100. ducatorum, pensio solet reservari in & pro quantitate excedente dictum

valorem. Garc. loc. cit. n. 374. Ventrigl. cit. n. 41. Azor cit. q. 5. Paris. loc. cit. n. 24. dicens, id mente tenendum; eò quod antiquo tempore non habebatur hæc ratio, sed imponebatur pensio, usque ad tertiam partem in omnibus beneficiis, adeoque etiam in curatis, cum clausula: *modo tertiam partem non excedat*: quia hæc censebatur justa pensio.

5. Respondeo quintò: In clausula illa apponi solita in constitutione illa pensionis: *modo pro rectore remaneant annuatim centum liberi*: id liberi importat libertatem ab omni diminutione & gravamine, utpotè in sustentationem parochi designati. Garc. n. 376. Castrop. loc. cit. juxta dicta q. preced. de Episcopo. Veruntamen intelligitur hoc ipsum de oneribus & gravaminibus ordinariis, ita ut si deductis oneribus non remaneant liberi isti centum ducatis, pensio dicatur nulla. Ventrigl. loc. cit. n. 44. citans Giga. de pens. q. 96. n. 2. ac dicens sic expressè decisum à Rota in *Roman*. pens. 6. Nov. 1619. quæ confirmata fuerit à Rota in *Crescentina* pens. 6. April. 1620. Nequaquam autem hoc intelligendum de oneribus extraordinariis, & de raro contingentibus, ita ut, si illis deductis non remaneant centum illi ducati, non censeatur propterea pensio nulla, licet minuenda pensio, nisi forte ipsa pensio libera sit & immunis ab oneribus. Ventrigl. l. c. ex Giga. ubi ante, sic passim quoque ab aliis tradit asserens. Sic itaque remanere debent illi 100. deductis juribus Episcopalibus per parochum solvendis. Ventrigl. loc. cit. n. 45. citans Ricc. in pr. p. 3. resol. 109. n. 3. Item deductis expensis pro cera, hostiis, vino pro sacrificio, oleo pro lumine coram Eucharistia, pro musica in festo Sancti, sub cujus invocatione est Ecclesia, pro salario inservientis Missis & in summa deductis omnibus necessariis. Ventrigl. cit. n. 45. citans Barbof. de clausula. clausul. 47. n. 9. Econtra non requiri, ut remaneant 100. deductis oneribus, quæ possunt per ipsum titularem subiri, & loquendo generaliter deductis oneribus arbitrariis & voluntariis, ibidem tradit Ventrigl. ex Barbof. ubi ante n. 8.

6. Respondeo sextò: Tamen Castrop. loc. cit. dicat, nunquam Papam censendum velle gravare pensione beneficia parochialia non excedentia valorem centum ducatorum, tradit tamen Ventrigl. loc. cit. n. 46. quod, si narrato vero valore beneficii curati, nihilominus reservert Papa pensionem in tali quantitate, ita ut non remaneant 100. liberi pro rectore, etiam quod non derogetur expressè dispositioni Trid. pensionem fore validam, & censeri tacite derogatum dictæ dispositioni, citat pro hoc Rotam in *Gegoliens*. tertia pars fructuum 25. Maij, 1612. quam referat Barbof. ubi ante clausul. 47. n. 11.

7. Respondeo septimò: Quod dictum hic de beneficiis parochialibus, idem etià dicendum de quovis alio curato; cum Trid. loquatur indistinctè de Ecclesia curata. Ventrigl. loc. cit. n. 42. citans Anton. Maceratens. in var. resol. l. 1. resol. 31. n. 9. & 10. referentem sic à Rota decisum.

Quaestio 468. Pro quo tempore debeant remanere illi centum ducati liberi pro Rectore, & illi mille pro Episcopo, ut pensio imposita sit & maneat valida?

1. **R**espondeo: Debere illos remanere pro tempore constituta pensionis, ita ut, si tempore illo seu datæ remanebant (intellige, deductis oneribus ordinariis & necessariis solvendis) illi centum & illi mille, & postea tractu temporis diminuatur, pensio imposita fuerit & remaneat valida, & non cassanda; & econtra, si pro tempore illo constitutionis